Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Registratura Maximilliani - Cod. Aug. pap. 13

Maximilian <II., Heiliges Römisches Reich, Kaiser>

[Reichenau], 1563-1566

October

urn:nbn:de:bsz:31-84715

Visual Library


1564
OCTOBER

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Maximilianus &c.

Duci Mantuæ

416°

Egregium fidelem nobis dilectum Equitem Hannibalem Caurianum suamet uirtus, morum probitas, rerumq; agendarum peritia, quæ nobis à multis iam annis abundè sunt cognita, tam flugustissimæ me: Diuo Imp. Ferdinando parenti nostro charissimo, quam nobis etiam ita iampridem comendarunt, ut inter singulariter nobis charos hactenus quidem semper sit habitus. Eius in ipsum animi nostri perbenigni, ut testimonium etiam euidentius aliquod extaret, inter Consiliarios ipsum nros et familiares digniores Clementer asciuimus. eo inprimis instituto, ut sicuti in Italia uel alibi negotia nobis deinceps inciderent, in quibus opera eius usui nobis foret, ad ea Ex consiliariorum nostrorum numero delectus præ cæteris adhiberetur. Atqui cum initio statim à nobis suscepti muneris, is fidei suæ et dexteritatis eximiæ in Legatione, qua nostro noio apud Serenm Poloniæ Reginam sororem nram charissimã nuperrime fuctus est specimine iam edito de patria repetenda nunc cogitet.

consultius

consultius id et pnti rei suæ familiaris institutæ rationi et operæ suæ comodius nobis pstandæ ducens, quam vxoris et liberorum magno incommodo Aulæ nostræ diutius commorari, ac proinde, ut sibi per nos redire iam isthuc liceret, sedulo nos compellauerit: Nos sanè, ne in hoc quoq; nostræ in ipsum Clementiæ defuisse uideremur, id illi perbenignè annuimus: Ex quo nunc quidem, dum ad nos reuocetur, commeatum à nobis reuerenter accepit: Siquidem igr hac, q diximus ratione Consiliarij nostri munere dignati sumus; equidem id porrò maiorem in modum cupimus, ut hoc etiam noie à V. Dilsno, non ipse solum sed et uxor liberiq; eius et qcunq; è re ipsorum futura sunt, singulari deinceps fauore et Clementia fouenda suscipiant: atq; ita decætero comendati quacunq; occasione habeant, ut re ipsa, animu eiusdem I. Dilsnis non nobis solum grata pstandi officia studiosum, sed et in eos quoq; quos charos, ac proin defendendos tuendosq; nobis susceptos ee sentit, propensiorem ferri intelligamus. Quanq; de ea qui ita sit erga nos semper affecta, nihil planè ambigimus. Colemus aut non ingrata memoria, si quid in hoc nræ

commendationi

commendationi tributum animaduerterimus atq; officij pergrati à V. Dilno. nobis ipsius pstiti loco habitum mutua illa beneuolentia, quæ inter nos ex pristina ista sanguinis coniunctione et amicitia alitur, peramanter compensabimus. Datæ Vienæ pri. Octobris Anno M.D.LXIIII.

Maximilianus &c.

417° Episcopo Zagrabien.

Quoniam statutum iam apud nos omnino habemus, prima quaq; occasione Sacratiss. Cæs.ae Mtis Parentis nostri amantissimi feliciss. me: funus Ex Sacello Arcis huius nræ, in quo piè reconditum etiamnũ asseruatur, omnibus ijs solemnibus officijs et cæremonijs, quæ ipsa in defunctum pietas exigit, adhibitis, ad ædem S. Stephano sacram Ecclesiam huius nostræ Vrbis Cathedralem, transportandum suscipere ut inde honorificentiori apparatu fu-

nebri

nebri Pragam sepulturæ, quam idem D. Imperator pa:
rens noster char.mus sibi uiuus adhuc destinauerat de:
mandandum deducamus, Eqquidem eum ad actum
singulis ex prouinciis nris primarios et potiores
quosq; incolas nostros et subditos accersendos duxi:
mus: Inter quos iam statim, qui prouincias nras Au:
striacas tàm sup quàm infra Anesum incolunt, et
earundem Antistites et Prælatos oes accersiri primos
iussimus. Quod igitur ad eundem actum ritè ab:
soluendum superfore uisum est, Orationi funebri eius:
modi in coetu in pdicta Eccla S. Stephani solemni:
ter habendæ te p cæteris maximè delegimus, ut cui
nobis eruditio, grauitas, et prudentia insignis, cum
pluribus alijs in rebus arduis, tùm in eodem pserim
officij genere in Augustiss. me: D. Caroli V. Imp. pa:
trui nostri amantiss. exequijs comprobata, optimè
cordi sit. Quapropter ad id officij obeundum, ut ma:
turius te accingeres, hisce Clementer pmonitum
uoluimus. De tempore autem easdem exequias cele:
brandi, quod in sesquimensem usq; adhuc facilè pro:

ducetur

ducetur, cum cæteros Hungariæ Antistites uocabimus maturè te quoq; monituri sumus. Ages in hoc ex solito tuo operam nobis gratam quacunq; in re nauandi studio, et ex animi nri omnino sententia, benignitatem in te nram ex hoc auctiorem facilè meriturus. Datum Viennæ 7a Octobris Anno &c. M. D. LXIIII.

Maximilianus &c.

418° Act Reginæ Poloniæ Aulæ præfectum

Comprobata nobis est multis pclaris indicijs fides et obsequij tui sedulitas, quam in Serenissimæ Poloniæ Reginæ Sororis nræ charissimæ ministerio pstas, Ea sane nos comouet, ut quæ ad rem dignitatemq; tuam prouehendam spectant, benignius etiam porro complectamur, eoq; magis quo de ista tua diligentia et obsequendi eidem Serenissimæ Sorori nræ studio, porrò etiam pro sequendo minus diffidimus. De

nobis

nobis igitur oīa illa quæ singulariter nobis chari et accepti expectant, uel tuo merito certo tibi pollice-beris. Quicquid enim officij in iam dictam Serenissi-mam Sororem nr̄am conferes, nos eadem clementia qua nobis ipsis p̄stita obsequia solemus, in te liberali-ter sumus quandoq; agnoscituri. Datæ Viennæ ii.ª Octobris Anno M.D.LXIIII.º

Maximilianus &c

419° Valentino Saurman

De fideli et constati opera et studio, quod Ser.mæ Poloniæ Reginæ Sorori nr̄æ charissimæ nauant eius-dem Secretarius et Medicus fideles nobis dilecti magnopere nobis cem̄endantur, qua de re eos iaman-tea singulariter fouendos benigne suscepimus. Vo-lumus itaq; tuo etiam testimonio, nostram in ipsos benignitatem eximiam, illis certo attestari, atq; omni ea commoda ratione abs te illos compellari,

atq; cohor-

atq; cohortari, qua in eiusmodi fide et sedulitate obe:
undi apud dictum Serenissimam Reginam mini:
sterij sui de cætero etiam confirmentur: Ages in hoc
ex nostra omnino uoluntate, quod clementer in te
porro tuendo agnosci intelliges. Dato Viennæ 3
Octobris Anno M.D.LXIIII.

Maximilianus &c

420 Senato Mediolanen.

Diuturna eademq; fidelia nobis à multo iam tempore
ostita eius obsequia efficiunt, ut fidelem nobis dilectũ
Nicolaum Lambardum ciuem uestrũ, eiusq; liberos nõ
ipsi solum benignitate nra libenter foueamus, sed et
à cæteris amari atq; tueri plurimũ cupiamus. A
uobis itaq; hoc perbenigne petimus, ut eum inter
ciues Vestros tuendum protegendumq; non imme:
ritò susceptum, nostro etiam nõie, quando cunq;

Vra

Vr̃a ipsi beneuolentia et subsidium usui erit beneuo:
lentius atq; amantius porro habeatis atq; iuuetis.
Experiemini ea in re impensè gratum nobis accidisse,
à uobis officium benignitate erga auctiori ẽt uos nr̃a
Clementer aliquando agnoscendum. Datæ Viennæ
iiiª Octobris Anno ꝯ M. D. LXIIII.°

Literæ familiaritatis pro Galeatio Cusano

421°

MAXIMILIANVS &c. Egregio fideli nobis
dilecto Galeatio Cusano familiari nr̃o gratiam nr̃am Cæ:
saream et omne bonum. Continuo isto atq; indefesso tuo
grata nobis officia p̃standi studio et desyderio, cuius
ab aliquot iam annis, plurima eaq; insignia accepimus
abs te testimonia: plane inducimur ut nr̃æ in te benig:
nitatis specimen aliquod tua uirtute et integritate
non indignum extare cupiamus. Te itaq; inter famili:
ares nr̃os continuos et domesticos scienter et ãio bene
deliberato delegimus atq; asciuimus, quemadmodum
hoc ipso diplomate nostro Cæsareo iterato te familia:

rium

rium nostrorum continuorum et domesticorum coetui ascribi:
mus, et inserimus, ita ut de cætero, omnibus et singulis bo:
norum et dignitatum, progatiuis, emolumentis et commo:
dis, quæ cæteri familiares nri et domestici sentiunt quocun:
que uel iure uel consuetudine, ipse quoq; per nos libere
utaris fruaris et gaudeas. Ac proinde manda:
mus uniuersis et singulis subditis et Officialibus nris
cuiuscunq; gradus, status, aut conditionis fuerint, ut
te eundem Galeatium Cusanum tanq; familiarem
nostrum continuum et domesticum agnoscant, et quan:
docunq; inciderit occasio, honorificentius habeant et acci:
piant: et quas diximus priuilegijs et progatiuis uti fruiue
libere sinant, atq; per alios et permitti curent: Siquidē
gratiam nram charam habent. In hoc enim agent ex nra
omnino uoluntate et arbitrio. In cuius rei ampliorē
fidem atq; testimonium hisce lris nostris manu nra pro:
pria subscriptis, Sigillum nrum Cæsareum appendi uo:
luimus. Data Viennæ 3a. Octob. Anno M.D.LXIIII.

422 Maximilianus &c.

Gubernatori Mediolanen.

Equidem apud nos ut quidem V. Dis.mis optima animi erga nos propensione certi iamantea sumus, nihil est dubium, quin V. Dis.mio quos nobis charos acceptosq; esse intelligit, ipsa quoq; fauore et beneuolentia sua non indignos ducens libenter amplectatur. Nicolaum igitur Lombardum eiusq; filios familiares nros fideles dilectos Ciues Vros, quorum apud nos grata complura extat obsequia, atq; adeo res et commoda clementer nobis cordi sunt, Vra Dis. Senatuiq; isti, non quod Ciues Vestros optimos hoces et Vestri colentissimos et obsequentissimos apud Vos comendatione nra egere existimemus, sed ut benignitati in illos nrae indulgeamus, sumopere atq; diligentissime commendamus, Quod si eos nostro etiam noie à Vra Dis.ne benignius demceps iuuari, tueri atq; protegi senserimus, intelliget Vra Dis.nio gratiae, ex mutua in ipsu beneuolentiae nrae accessione, re nobis cuprimis grata fecisse. Vienae 30 Octob. 64.

Litera passq

423°

Literæ passus pro Rodorigo de Abatos

MAXIMILIANVS &c Vniuersis et singulis Regibus &c Cum fidelis nobis delectus Rodorigus d' Abatos hoc tempore ex aula nra abiens, iter in Hispaniã habeat, Nos aut id institutum ei absq; impedimento succedere desideremus, Vos Vniuersos et singulos &c.

Datæ Viennæ 4ta Octobris Anno. M. D. LXIIII°.

424°

Cardinali de Correggio

Maximilianus &c. Etsi à ueteri isto Rmæ Pater. V. familiæ nobilissimæ, in Inclytos maiores nostros cultũ et obsequio syncero, dolor iste animi imensus, quem ex D. Imp. Ferdinandi parentis nostri amantissimi morte concepisse sese literis ad nos suis abundè contestatur: alienus nihil est: accepimus in illum eo benignius, q quam is nobis arguit, ista eiusdem Rmæ Patris Vræ in defunctum pietas, et nunq; intermoriens studiũ, nobis iusto moerore inter cæteris summè affectis

nonnullo

nonnullo fuerit solatio. Qua aut dolorem ipsa suum aliqua ex parte leniri iam asserit, spes ista et expectatio optima Rmae Pti Vrae in successione nra posita: equidem tam ipsam quam uniuersalem Christianam Remp: cuius nobis curam pgrauem incumbere sentimus, ne ea unqz fallat, quantum in nobis erit, Diuino adiuti nomine, unice elaborabimus atqz enitemur. In Rmae certe Ptis Vrae cuius nobis familia ob pristina eadem pclara eius de Inclyta nra Domu Austriaca merita chara cumprimis est, mutuae beneuolentiae testimonijs complectenda, animi erga se suosqz oes nri eadem Rma Pater Vra, propensionem et amorem singularem quacunqz occasione indubie experietur. Quam Deus diu incolumem conseruet. Dat Viennae 8 Octobris Ao M.D.LXIIII.

425°

Literae Patentes pro Marc' Ant.o de Cauallis.

MAXIMILIANVS &c. Uniuersis &c. Cum Egregius fidelis nobis dilectus Marcus Antonius de Cauallo, eiusqz Comites sex, quos ex comitatu et familia sua Mrus Syncere nobis dilectus Gibertus S. Viti Comes à Sala pro Orator ab

Illu Duce

Illu. Duce Parmensi ꝑ ad nos destinatus huc secum adductos, hinc abiens post se reliquit, secuturi ꝑ dictum Comitē herum suum iter Parmam nunc habeant, Nos aut id itineris expeditum eis succedere desideremus. &c.
Datæ Viennæ 9. Octobris. Anno 2d. M. D LXIIII.

Maximilianus &c.

426 Galeatio Cusano

Egregie fidelis nobis dilecte. Quaternas Junio, quinas Julio, quaternas Augusto totidemq; Septembri mensibꝰ ad nos scriptas suo ordine singulas accepimus. Et quoniam ex his ardens tui erga nos studij et obsequij prosequendi desiderium abundè cognouimus, diligentiam istam et sedulitatem tuam eximiam perbenignè amplectimur, nostra proinde clementia, q̃ in Nobis tibi iampridem parata est, nunq; tibi porro etiam defuturj, ut quem in isto opera suæ tam impigrè nobis ꝑstandæ instituto perrecturū nihil plane diffidamus. Datum IX. Octobris Anno 2d. D. LXIIII. Viennæ

427°

Cardinali Farnesio,

Maximilianus &c Mocroris tm penes nos qm ipsa literis suis exprimit R.a P.a V.i attulisse Diui Imp. Ferdinandi parentes nri amantissimi obitum equidem eo facilius coniecteramus quo perspectius eiusdem, quod cum tota sua nobilissima familia ipsa coniunx habet obseruantiæ et amoris veteris in eundem Parentem nrum fe: me: nobis iampridem erat studium. Quod tamen ipsa et hoc quoq; erga defunctum quidem pietatis erga nos uero uoluntatis et propensionis optimæ testimonium extare apud nos ~~extare~~ uoluerit, accipimus id sane, quo ipsam R. P. V. semper prosecuti sumus, benuolenti cumprimis animo: eiusdem R. P. Vræ eiusq; fratrum, et totius familiæ res et dignitatem ita semper amplexuri atq; prouecturi, ut et commendatione uos longiori apud nos nulla deinceps egere, et spei de nobis uræ respondendi desiderium nobis abundè maxima esse et ipsa et tota

eius fami:

eius familia quandoq; cumulatè comperiat. Cui R.mae Pater.ti Vrae oia Deo auspice cedant fortunatissima. Datae Viennae XI.a Octobris. Anno M.D.LXIIII.o

428.o

Cardinali de Ara Coeli

R.mae P.tis Vrae constans animi deuotio, qua reip: Christianae salutem et commoda suspirat, et in Germaniae p̄sertim nr̄ae cuius protectorem isthic nunc agit authoritate uindicanda alacre studium, facilè nobis persuadebant, fore ut Diui Imperatoris Ferdinandi felicissimae me: parentis n̄ri charissimi mortem subsecuta communis totiferè Orbi Christiano, qui optimum Principem amissum apud nos magnopere dolet iactura, R.mā quoq; P. V. non leuiter esset perculsura. Viua igitur ista R.mae P.tis Vrae doloris testificatio literis exp̄ssa, etsi aliena nobis minime fuit, abūdantis tamen pietate animi, et in nos obseruantia p̄claro nobis argumento fuit, Quod proinde nobis unicum iam incumbere intelligimus, ut omniū

bonorū

bonorum hominum quos quidem Reip: cura aliqua tangit, desiderio, quod ipsis optima sua de nostra in Imperio successione, spes et expectatio excitat, qm̄ in nobis erit Diuina accedente gr̄a respondeamus, nullus nobis labor uel periculum quamuis graue, dum è re sit Christiana unq̄ subterfugietur: Singulariter autem fauere nos Rmæ Pti Vræ fortunis et incolumitati, siquidem ipsa iam sibi de nobis tantum pollicetur, ut re ipsa quandoq̄ comprobatur, in nr̄a sanè beneuolentia et amore, quo in ipsam planè syncero ferimur, nihil est planè defuturū. Datū Viennæ XII. Octob. Ao. 64.

429

Decretum per Sac: Cæsarea Mtem XII Octobris Anō 64. de Electione Rectoris in Viennen. Archygymnasio

Sac: Cæs. Mtus Dominus noster Clementissimus annuit atq̄ approbat benignissimè Iuridicæ in hoc Almo Viennensi Archigymnasio facultatis, institutum Rectoratus scilicet dignitati, quæ proximè instāti

semestri

semestri ad ipsam deuoluitur hac quidem uice sponte renunciandi eo maxime consilio, ut, quæ aliquandiu inuersa huc usq; fuit, Rectoratus eligendi usitata ratio, in pristinũ temporis p̃sertim, ordinem commodius reducatur: Mandat aũt p̃terea eadem Cæs. Mtas. seriò ut eiusmodi restituto Rectorum designandorum ordini, pro Veteri Constitutionũ Imperialium more et consuetudine deinceps perpetuo et inuiolabiliter inhæreatur, nec diuersũ ab eo quicq; porro suscipiatur. /

430°

Literæ passus pro Caligario Serm.or Austriæ Archiducum Rodolphi et Ernesti

MAXIMILIANVS &c. Vniuersis &c. Qui has feret, fidelis dr̃ dilectus Serm.or Austriæ Archiducum Rodolphi et Ernesti filiorum nostrorum chariss. Caligarius, cum hinc abiens Hispanias modo repetat, nos aũt expeditius id esse itineris ipsi cupiamus. Vos uniuersos et singulos ꝑ Viennæ XIII Octobris Anno ꝑ M.D.LXIIII. /

Maximi=

Maximilianus &c

Duci Veneto

431°

Supplex ad Nos detulit Nobilis f. n. d. Gaspar Comes Lodroni pro aulæ nræ Siniscalcus, Quendam ex suis in Nogaredo Castri noui subditis Antoniũ Bernardini q. Organistæ filium alij cuidam suo subdito, nullaũq; ab hoc iniuria affectum, sed, ut ex causæ postea suscepta examinatione non obscurè animaduersum est, à tertio quodam pecunia in id conductum, necem nefariè intulisse: Verum exinde ut supplicium meritum facilius effugeret, in V. Dilx.is istiusq; Clarissimi Dominij ditionem sse recepisse, Quandoquidem igitur dictus Comes in tantum et edeõusq; detestandum scelus, ut meritò debet animaduersurus, ea ipsa ex causa, qd. reus in Vro Dominio adhucdum impunis hæreat, prohibeatur, à nobis hoc humilitr petijt, ut apud Vrãm Dilx.nam istudq; Illu.m Dominiũ, nra accedente Commẽdatione, efficeremus, ab eadem scilicet Dilx.ni Vrã

seriò

mandari, ut dictus reus uel ad ipsum Comitem, uel ad lo:
cum in quo ille deliquit puniendus remittatur. ne huius
impunitate cæteris Comitis subditis, ad deliquendam fa:
cilius causa ulla p̄beatur. Quaq̄ aūt Vr̄am Dilp̄nem
quæ est eius istiusq̄ amplissimi Senatus in comprimendis
eiusmodi Sceleratorū flagitijs æquitas, non inuitam in id
concessuram arbitremur, beneuolentius tamen et aman:
tius, ut ipsi quoq̄ expetamus, tàm grata et diuturna
p̄fati Comitis officia et obsequia, quibus nr̄am sibi benig:
nitatem iampridem demeruit, quàm ipsa res iusto et
æquo maximè innixa nos com̄ouent; Quamobrem si
quid huic nr̄æ intercessioni à Vr̄a Dilp̄no istoq̄ Illu̅ri
Dominio tributum senserimus, nos sanè, ꝓter quod
ipse Comes pari in cusu, si qui deniceps scelerati ex
Vr̄a in suam ditionem confugerint ad uos libenter re:
missurus est, beneuolentiæ id eximiæ et amicitiæ ab
ipsa accepti loco officij, mutuis boni amici testimo:
nijs quandocūq̄ res feret abundè compensabimus.
Valeat eadē V. D.o Viennæ xiii. Octob. Anno ꝯ 64.

Maximilianus &c.

432°

Adamo à Dietrichstain ratione Caroli Khuen in Ser.mor. Mtis Vrae filiorum &c. siq-dem opus habuerint Secretarium Germanicū suscipiendi

Prosequendi ardentius, quod semel suscepisset, obsequium suum Inclytae nostrae Austriacae Domui dicatum, desiderio solo induci sese exposuit nobis humiliter, qui has ad te feret, noster et Sac: Rom. Imp: fidelis dilectus Carolus Khuen, ortu Norimbergensis Ser.mi quoq; Hispaniarum Regis &c. Fratris et Patruelis nri char.mi, ut nobis ipse euidē-ti testimonio attestatur, seruitijs aliquamdiu deditus, ut oēm suam operam, et quicquid p̄sertim pleraq; Chri-stiani Orbis Regna peragrando conquisiuisset, utili-ter seruiendi peritiae Ser.mis Austriae Archiducibus Rodolpho et Ernesto, filijs nris char.mis potissimum deuouere summè cupiat; in Secretarij p̄sertim Germanici munere apud ipsos obeundo Quod si

igr

igitur eiusmodi Secretario eorundem Dilg^nes opus ha:
buerint, tuæ curæ permittimus, ut ab eisdem ille susci:
piatur. Datæ Viennæ, XVII Octobris Anno M.DLXIIII.°

Maximilianus &c

433

Duci de Razouil

Equidem à pietatis ac Reip: Chrianæ utilitatis tàm stu:
diosa tamq; amanti animo, qualem in vobis deprehendi:
mus conatus certè alij iampridem nulli expectabantur,
quam cuiusmodi literæ uestræ laudatissimo isto Sacro:
rum Bibliorum ūra cura et impensis in uernaculam gen:
tis istius linguam translato, opere comitatiæ nuper
nobis declararunt. De hoc igitur opere uos tamet:
si iamantea nobis amatos, beneuolentius ēt porrò
adamamus, quod ex eo primum insignia ad complu:
res prouincias, quæ eius usu et lectione posthac fre:
quentiori ad Religionis studiū p̄ inscitia hactenꝰ
aliq̄m torpescentes, plurimū deinceps excitabantur,

commoda

commoda deriuatura. ac patriæ dein Vrã iusto desiderio non inepte consultum iri intelligamus, siquidem syncere ex ipsis fontibus literarum Sacrarum interpretatio petita, quantum dissensionibꝰ pestiferis tollendis commodi conferat, uel sola Germania nr̃a abunde nobis comprobat. Nobis certe cuius ꝑterea Vos tam amanter Nos admonetis curæ hæc potissima iampridem insedit et sollicitudo à Diuo Imp: Ferdinando fe:mæ me: parente nr̃o charꝫmo per manus nobis tradita, ut quantum in Nobis est, et Diuina affuerit bonitas, omne illud consilium libenter suscipiamus, quo eradicatis undiq̃, quæ Christianæ Reip. fines gregatim quodammodo irrepserunt deffensionibus, una atq̃ solida Demum Religio inter nos restituatur: passim item errantes ouium greges, in unum atq̃ uerum Christi ouile, cuius unus est pastor, reducantur. adeoq̃ pax et tranquillitas diu desyderata Christiano Orbi tanq̃ postliminio demũ

reuersa

reuersa, conseruetur, Neq; enim unq; desperauimus
Deum uperi tam sancto, accinctos una nobiscum multos
pios Principes numine psenti unq; esse destitutu,
Id quod uobis proua, quam in Nobis posuisse sese
affirmat spe et expectatione nunc quidem respondemus. Ceterum quod Vos alteris insuper literis
supdicti Diui Imperatoris Ferdinandi parentis
nri char.mi beatiss. me: morti, tanta cum doloris ue:
stri priuati etiam attestatione, condoletis, nostroq;
bromde ex successione suscepto Imperio tam bene
ominamini in eo agitis, ex ueteri uro in Dictum
D. Parentem nrum obseruantia et cultu arden:
tissimo; in pietatem modo istam comututo: erga
nos uero affectu animi optimo, nraq; felicitatis
desiderantissimo: Quibus sane officijs, nram in Vos
priorum benignitatem, magno cumulo auctam
reddidistis: Quam uobis omni ea occasione, ubi
uobis erit usui et commodo, re ipsa libenter com:
probabimus atq; ita declarabimus, ut quam istud
erga nos ues trum studium con:

tinuu

nuum gratum charumq; habeamus, e uidentius por:
ro et pro uoto uro sentiatis. Valete felicissime. Datæ
Viennæ 18 Octobris Anno ꝓ M.D.LXIIII.°

Maximilianus &c.

434° Comiti Prospero ab Archo

Comprobatur nobis uirorum probatissimorũ testimonio
uirtus et ingenua animi studia Egregij Syncere nobis
dilecti Camilli de Rustici, ut eum nrũ et benigni:
tate non indignũ duxerimus. Quoniam uero sui is
obsequij etiam et obseruantiæ erga Nos Nostramq; in:
clytam Domum Austriacam iampridem suscepti ar:
dens desiderium commodius attestaturus, à nobis et
clementer isthic agnosci humilime expetit, nos sane
tibi illum nro noie commendatũ esse, atq; ut cæteros
nobis charos soles, amanter atq; beneuolenter
abs te haberi, quæq; ad eius res comodaq; spe:
ctant, amplecti quambenignissime uolumus.

Ages

Ages in hoc ex consueto seruiendi nobis desiderio tuo benignitatem in te nr̄am in dies accumulaturus. Datæ Viennæ XVIII Octob. Anno ꝓ M.D.LXIIII.

Maximilianus &c.

735. Principi Florentiæ

Redditæ nobis sunt T. Dilꝰ.mis lr̄æ à clar.mis Ill.ꝰ eius parentis ad nos missis Oratoribus, qui earundem sententiam sermone apud Nos suo subsequuti tàm animi moerore, quem Diui Imp.ris Ferdinandi Augustissimæ me: Parentis nr̄i obitus T. Dilꝰ.ni comouisset, quàm eiusdem de nr̄a in Imperio successione congratulationem coràm nobis abundantissime declararunt: Qua in re non Tuæ solum Dilꝰ.nis animum et pijssimū et nr̄æ prosperitatis desideratissimum, sed et ipsorum Oratorum, quas natalium splendori perpulchrè conuinxerunt insignes animi Vir-

tutes

tutes, morum et sermonis amabilitatem, ingenium uariarũ rerum usu ꝑstantissimũ, ꝑgrauem denique prudentiã agnoscere nobis ꝑclare licuit. Quam aũt illa nobis grata à T. Dilꝰ.ne acciderunt, cum eosdem Oratores non minus dextrè et copiosè significaturos confidamus, equidem non tam uerbis, quã ipsa re eidem T. Dilꝰ.ni quacunque occasione attestãdum id duximus. In nr̃a igr̃ beneuolentia et amore, quo in ipsam certè non exiguo propendemus, T. Dilꝰ.tis expectationem semel positam, sibi eò constantiorem et certiorem posthac semper retinebit, quo nos magis ipsius, atque Illꝰ. eius parentis erga Nos studij Syncori officia accumulata sensimus. De cætero ualere T. Dilꝰ.nem ex animo uolumus. Datæ Vicinæ XIX Octobris, Anno ꝑ M.D.LXIIII.

486

Cardinali de Medicis

Maximilianus &c. Qui Rꝰ.mæ Paterꝰ.tis Vr̃æ animum

mum Diuo Imp. Ferdinando fe.mæ me: Parenti no:
stro char.mo iampridem ualdè deditum cognouimus:
equidem facilè conijciebamus eiusdem mortem non
parum doloris eidem R.æ P.ti V.ræ esse excitaturam.
Etsi igitur ab eadem P. V. R.ma tam studiosè atq;
officiosè eo ipso de dolore et literis et per Clariss. Illu.
Ducis, Parentis sui, amici nri charissi: oratores fa-
cta Nobis fides inopinata minimè est: ad adaman:
dam tamen beneuolentiùs eiusdem in hoc pietatem,
et in nos quoq; studium candidũ plurimũ sanè nos
permouet. Eius uero doloris, qui toti pterea Reip:
Christianæ ob sublatum sibi Optimũ Imp. comu:
nis sit, solatium, quod R. P. V. in nobis porro col:
locet: ea spe fore, ut ipsi, ut Regnorũ, ita uirtu:
tum quoq; paternarũ hæredes, desolatam eius:
modi graui iactura Remp. psidio nro paternè de:
niceps foueremus, adeoq; tanta cum animi deuotio:
ne, nræ in Imperio successioni congratulatur: in
eo sumũm tàm Reip: quàm nræ priuatæ felicita:
tis desiderium nobis suum pclare comprobat.

Quapropter

Quapropter ad eam, qua in R. V. P.tis sponte propende:
mus, animi inclinationem et beneuolentiam, si modo quid
ei iam maxima porro accedere potuit, ex his certe gra:
tissimis erga Nos R. P. Vrae officijs, plurimum accessit,
Id quod, cum illa R. P.tis Vrae quandoque usuueniet,
suo comodo certo resciet. Valeat prosperrime. Datae
Viennae XX Octobris Anno M.D.LXIIII.°

Maximilianus &c.

437° Duci Florentiae

Quem apud Nos et literis, et per Legatos ad id suos clar.mos
delectos testatu est T. Dil.nis dolorem et luctum ingen:
tem, ex Sez.mi et potentissimi quond. Principis Dni Fer:
dinandi, Electi Romanorum Imperatoris Augustiss. me: Ge:
nitoris nri amantissimi obitu susceptum, quod is ex syn:
cera in defunctum pietate, et ex ueteri ista T. Dil.nis ani:
mi erga Nos propensione et deuotione haud dubie profi:
ciscatur; Nos sane benigno cumprimis animo, quem

ille moe:

ille moerore iustissimo affectum, sui comunicatione non pa:
rum consolatus est, accepimus atq; agnouimus. Multu
deinde ex hoc pio T. Dilg.mis officio confirmatæ beneuolen:
tiæ erga ipsam nræ, momenti attulit ista de Imperio,
quod Diuo Parente nro Vita sublato, nobis iam incum:
bit, eiusdem T. Dilg.mis congratulatio, optimi plena affectus.
Vtrumq; aut istud tam condolendi, quam gratulandi
nobis officium Illu. et Magnificoru syncere nobis di:
lectorum T. Dilg.mis Oratorum Mary Columnæ et Iu:
lij Ricasolis in explicando grauitas, et summa pru:
dentia, mirum in modum gratum acceptumq; nobis red:
didit. Agnoscere enim omnino uisi sumus in
Mario quidem, uera quandam Maioru suorum lauda:
tissimorum Virtutis domi forisq; spectatissimæ effigie,
ex qua generis eius nobilitati, quanq; antea splendidis:
simæ plurimu insuper decoris accresceret. Præter quod
fides et opera vetus nobilissimæ eius familiæ, Sac. Rom:
Imp.rio, ac Inclytæ nræ Domui Austriacæ strenue
persæpe nauata et pstita, optatiorem illius psentiam

nobis

nobis multò effecerit. Julius uerò ingenui etiam sui ani:
mi, quem ex prosapia parentum nihili insitum, ardens uir:
tutis studium in ipso mirificè obfirmauit, pclarum nobis
uel primis hisce congressibus specimen edidit. Qua:
propter illos, tametsi uel eo noie, quòd a T. Dilmo ad Nos
missi essent, antea quidem charos, propria etiam ob
Virtutum merita, in benignitatis nrae sinum clementer
suscepimus. Quam uterq; cùm res feret, in se cumulatis:
simam euidenter sentiet, et Nos nunc quidem in Julio,
ut qui nobis T. Dilmis iussu diutius comoraturus est,
amplectendo, libenter testaturi sumus.

Quod T. certè Dilmis multifariam nobis declaratū
meretur studium, et addicatus nobis animus, pla:
nè nos incitat, in beneuolentia erga ipam pristina,
quacunq; ratione locupletanda atq; conseruanda,
deinceps firmi semper consistemus, in eo psertim
negotio, cuius tractandi causa nobiscū hæret sup:
dictus Julius, ita nos gesturi, ut q̄ è re et dignitate
T. Dilmis sunt futura cordi nobis haud uulgariter fuisse
constet. Interiualeat felicissie T. D. Vienae xx Octob. Anno
64.

Maximilianus &c.

438° Oratori Venetijs

Qua in re Nobilem fidelem nobis dilectum Gasparum Comi:
tem Lodroni, aulæ nr̃æ Siniscalcum, apud Illu. Venetorũ Du:
cem amicum nr̃um chariss. istudq; Clariss. Dominium cupia:
mus adiutum partim ex earum, quas ad ipsum Ducem scribi:
mus literarum exemplo, partim ex eiusdem, qui hinc ad uos
reuertuntur Clariss. Oratoribus abunde cognesces: Id ut faci:
lius ille consequatur, tuam quoq; operam studium et diligẽ:
tiam, quam potes summã industriæ tuæ coniunctam adhibe:
ri uolumus, nr̃oq; nomine omne id agi, quod ad promouen:
da et satagenda, quæ Comes illa in re expetit, conducere
tibi uidebitur. Ages in hoc ex nr̃a benigna uoluntate, qua
in te multum propendemus. Datæ Viennæ ~~Datæ~~ XXII
Octobris Anno ꝯ M.D.LXIIII.

Maximilianus &c.

439° Archiduci Ferdinando

Etsi minimè apud Nos sit dubium Dilg.mum Vrām iam antea copiosè et sufficienter intellexisse, quæ nos ei decima huiꝰ mensis die scriptis literis, et ad Vrām Dilg.mū (ut intelligimus, duodecima eiusdem hinc per postam ut uocant, specialem missis, de Florentino coniugio scripseramus: animi nr̄i sententiam et affectum eo potissimū inclinatum declarantes; ut eiuscemodi coniugio conclusionem seu finalem determinationem haud longius producendā existimaremus: Noluisse tamen Nos tum ea in re progredi, nisi quod V. Dilg.o postremum tandem animo decretum haberet denuo audijssemus: Attamen eadem ipsa per repetitionem priorum nr̄arum literarū partis ultimæ, Vrā Dilg.mi nihilominus in memoriam hisce quoq; reuocare uisum est: Hoc p̄terea eidem significato Florentinos Oratores planè uehementi atq; indesinenti studio, de solido tandem et de finito responso apud Nos subindè quotidiè instare, eoq; ardentius, quod Ferrariensis Ducis Orator expeditis pro animi sententia rebus, latisq; secum determinatis pactis dotalibus, iam aliquot an̄ dies hinc discesserit. Ex hoc enim utriusq; eorū Principis tam patris quàm filij existimationi et dignitati nonnihil detractū

iri

iri uisi sunt arbitrari. si ipsi diutius distineantur: Vti etiam à lata tam patienter tanti hucusq; temporis mora, longiùs distineri neutiq; uolunt. Quapropter Vrām Dilnem fraternè etiamnū hortamur et requirimus, ut de sua nos conclusiua super hoc negotio sententia (quam proinde singulari in id destinata Posta uelociter ad nos perferri cupimus) primo quoq; momento certos reddat: Vt ad Pactorum tandem Dotalitiorū tractationem cum illis tutius descendere, quæq; agenda supersunt, pro conseruanda comōdius utrinq; animorum coniunctione perficere queamus. In quo quidē V. Dilnis gratum nobis cumprimis fecerit, mutuis fraterni amoris studijs eidem Dil. V. à nobis rependendum, Quam Deus immortalis incolumē diu conseruet. Datæ Viennæ 23 Octob. Anno 2d. M.D.LXIIII.

440°

Cardinali Amulio

Maximilianus &c. Eæ ipsæ in suis quas literis humanissimis R. V. Ptis refert doloris sui ex Sermi ac Potentissimi Imp. Ferdinandi augustiss. memo:

Parentis

Parentis nri charissimi obitu accepti, extitisse causas, quàm nobis acertam et luctuosam eandem mortem reddiderint, psertim optimo pterea Parente orbatis, equidem R. P. Vrám spontè iam conijcere facilè arbitramp. Eo aut in moerore multum sanè nos reficit amicorum Reip. uerè amantium doloris communicatio, qualem cum in R. P. V. nunc dilucidè dephendamus, nos sanè illam ualde beneuolenter ab ipsa accipimus. Erit etiam eiusmodi ex officio R. P. Vra in posterú etiá tanto nobis amatior, quo illud clariori Rmæ Ptis Vræ et pietatis et studiosæ in nos uoluntatis fuit testimonio. De cætero Valeat felicissimè eadem R. V. Ptis.

Datæ Viennæ xxiiii Octobris Anno pro M. D. LXIIII.

441 Maximilianus &c.

Joanni Galeatio Fregoso

Declararunt nobis copiosè literæ, quas xiii Octob. ad nos dederas, animum tuum ad ea, quæ è re et comodo Imperij nostri propagandi esse cognoscis,

amplectenda

amplectenda atq; subeunda impigerrimum et ardentissi:
mum, ac proinde gratæ nobis cumprimis acciderunt. Ipsas
etiam rationes, quibus institutum tuum nititur, Clemen:
ter ex illis intelleximus, Quis de his aut nobis sit ani:
mus et sententia hoc tempore, Nobilis f. n. dilectus Con:
siliarius et apud Venetos orator noster Franciscus Ba:
ro de Turre et Cruce, cui de hoc mandauimus, tibi sig:
nificabit atq; referet. Tu interea de nobis hoc tu:
te polliceberis, istud excellens in nos studium tuum tam
Illustrib. testimonijs comprobatum, benigna nobis me:
moria semper recoli: et Clementia et nra aliquando
iri compensatum. Datæ Viennæ. xxiiii.° Octobris
Anno etc. M. D. LXIIII.°

Maximilianus etc.

Ad Archiepum Strigonien.

442

LXXVI. Referunt nobis supplices fideles nobis dilecti Com:
munitas Tirnauien; pgraues et conscientiæ suæ ualde
„ut asserunt"

onerosas

onerosas sibi à D. T. conditiones p̄scribi, quibus concessa nuper à S. D. Pont. Max. Pio IIII° sub utraq; aut altera tantum sp̄e Com̄unionis sacrosanctæ utendæ libertas, astringatur, quemadmodum ex supplici eorum libello, quem hisce insertum ad D. T. mittimus, ac proinde humillimis ad nos p̄cibus confugiunt, orantes, à tam oneroso et aduerso ipsorum conscientijs instituto D. T. nostra authoritate Clementer auerti. Nos igitur benignissimè animaduersis quæ ex eiusmodi D. Tr̄æ ratione in ipsos suscepta subsequi incom̄oda facilè possent, id D. Tr̄am nunc quidem benigne admonitam uolumus, ut de his omnibus, quæ illi in se attentari con̄gruntur, quo modo res sese habeat, ipsa quoq; nobis sigillatim significet: Petimus aut̄, cuius antehac persæpe ip̄am Clementer admonuimus, eiusmodi scilicet in negotijs et temporis, et status, in quo nunc uersatur Christiana Resp: rationem accuratissimam habendam neq; animos hominum istorū in accepta aliquandiu religione obfirmatos, mox tam rigido tamq; insueto ipsis freno imposito co-

gendos

gendos, se leni et mansueta admonitione palatim ex auijs, si quæ inconsulto incidissent, rectam ad semitam reducendos, nūc etiam eò magis P. Vrā cordi esse, quo, maius est hoc tempore de comō-uenda ista plebe periculum. Aget P. V. in hoc ex benigna nr̄a uoluntate, qua ipsam continua amplectimur. Datæ Viennæ XXV Octobris Anno ꝑ M. D. LXIIII.

4430 Cardinali de Mantua

Maximilianus &c. Cum non nisi ex antiqua illa et constanti, quam comūnem habet cum tota Illustri familia sua Rōnā Pt̄is Vrā animi synceri propensione erga Domū nr̄am Inclytam Austriacam tàm dolor iste p̄grauis, quem sese ob Suc: Cæs Mtem Parentem nr̄um charissimū feliciss. me: uita sublatū sensisse testata est, quam de nobis successore spes eius optima proculdubio oboriatur, sanè non potuere ēt nisi summe nobis esse grata et exoptata:

accedente

tam graui p̄sertim uiuo testimonio Illus.ris Syncere nobis dilecti Andreæ Gonzagæ, qui p̄ter quod animum R. V. Patez.tis summa nobis dexteritate explicauit, suæ quoq; raræ uirtutis, et indefessi erga nos studij haud uulgare penes nos reliquit specimen, Quod igr̄ in nobis est isti: usmodi quidem officia uerè nos grata habuisse, equidem n̄ræ in R. P. V. beneuolentiæ et amoris conseruatione per: petua abundanter quandoq; comprobabitur. Spei uero et consolationi communi de n̄ra successione, ut pro uoto et salute totius Reip: respondemus, indesinenter à nobis inuigilabitur. De cætero R. P. V. feliciter ualere exoptamus Datæ Viennæ xxx Octobris Anno M. D. LXIIII.

Cardinali Borromeo

444°

Maximilianus etc Facilè perspeximus ex R. P. V. li: teris, et sermone quem eius n̄oīe Venerabilis Ep̄us Vin: timilien. ad Nos pertulit, tametsi omni antehac etiam conatu passim nobis declaratum R. P. V. et studio:

sissimum

sissimum nri animum, et Reipub. Christianæ commodi et salutis summum amorem et desiderium. Quandoquidem Serm.mi ac Potentissimi quondam Principis Ferdinandi Electi Romanorũ Imperatoris augustæ me: parentis nri amantissimi mortem tantopere dolenti, R. P.ti Vræ ea maxime causa subsit, quæ omnibus, tam nram, quam Reipub: comis foelicitatem ex animo expetentibus amicis nris dolendi ratio, hoc est, quod nos quidem Parente optimo, Christianũ uero Orbem Imperatore pientissimo orbatos alieno plane tempore intelligat. Accipimus itaq; eiusmodi à R. P. V. pietatis plenum nobis condolendi officium eo, quo meretur, animo plane beneuolentissimo, nihil aliud cordi nunc magis habentes, quam ut curato tandem pia æternæ D. Parentis nri. felicitatis cogitatione animi uulnere, eiusdem quod obitus pgraue nobis inflixerat: Imperij ad nos Successione deuoluti fasces ita subeamus, ut nihil ex uere fraterni in totum Remp: Christianam animi Principis officio unq; nobis defuisse animaduertatur, atq; adeo Rmæ quoq; P.ti Vræ spei, psertim eiusdem ad Deum pcatio pro Nobis, ne tam sedula suffragante, locupletissime à Nobis re:

spondeatur

spondeatur, De beneuolentia certe et amore nostro erga eandem Rmam V. Paternitatem quem eiusdem in Nobis auget erga Nos studium gratissimum, nullum Rmae P. V. subeat dubium, quin is à Nobis constantissimè semper colaturatq; conseruetur. Valeat prosperrimè R. P. V. Datae Viennae Vlt. Octob. Anno ꝑ M. D. LXIIII.

Maximilianus &c.

445 Duci Lotharingiae.

Quem nobis T. Dilmis cum literae, tum ad nos missus Orator Magcus nr et Sac. Rom. Imp. fidelis dilectus Joannes Comes à Salmis ꝑ Lotharingiae Marescalcus, et Nuncij Gubernator, uberrimè declararunt, eiusdem dolor ꝑgrauis ex Sereniss. et Potentissimi quondam Principis Ferdinandi, Electi Rom. Imp. Augustae me: Parentis nri amantissimi morte susceptus, sane ut T. Dilmis animum nobis non minus deuotum atq; coniunctum, quam est arcta eiusdem cum Inclyta nra Austriaca Domu sanguinis coniunctio, egregie apud

Nos compro:

Nos comprobauit, ita etiam nr̃am ad beneuolentiam erga T. Dilg.nem et amorem eximium amantius et posthac persequendum maiorem in modum nos excitauit. Quod enim omne sui erga Nos eiusmodi in moerore constitutos studij officium absolutura T. Dilg.o huic nr̃æ tam laboriosæ et anxiæ Imperatoriæ susceptæ dignitatis, prouinciæ, tam bene insuper ominatur, suiq; hinc doloris solatium maxima ex parte accipit, sane eiusmodi est, quod à nobis merito grata et beneuola semper memoria recolatur. Id quod Nos facere oi paterno in Remp. Christianam officio, in T. aut Dilg.mi amici et consanguinei beneuolentissimi, affectus prosecutione indesinenter contestabimur: Quæ valeat prosperrime. Datæ Viennæ Vlt. Octob. Anno ꝑ 64.

4460

Cardinali Morono.

Maximilianus &c. Quod nullam R. Pater.tas Vr̃a suæ erga Nos optimæ Voluntatis et studij attestandi occasio:

di occasionem excidere sibi patiatur, facit ex soli:
ta in eos, quos semel amandos sibi et colendos propo:
suit constantia, quam ipsi ingenua eius naturæ
et bonitas inseuit. Quæ igitur R. P.is V. lrãs
Venerabilis Syncerè nobis dilectꝰ Epũs Vintimi:
lien. sermone suo subsecutus eiusdem nomine
ad nos pertulit, cum eam ipsam constantiã
nobis summè confirment, multo maximè ab ipsa
grata et accepta nobis obtigere: Ne quid aũt
nos quoq; R. P. V. ex priori in se amore et ani:
mi propensione unq̃ remisisse, sed eum æquè
constantem sibi asseruari intelligat, libenter
admodum et amanter quacunq; occasione curabi:
mus. De cætero eidem oĩa felicia à Deo pre:
cantes. Datæ Viennæ Vlt. Octobris A.o 64.o

447.o

Cardinali Serbellono

Maximilianus &c. De Ser.mi et Poten.mi quon:

dam Prin:

dam Principis Ferdinandi Electi Rom: Imp:ris augustiss-
me: parentis nri amantissimi morte tam officiose no
bis condolens Rma Ptas Vra, sui erga defunctum qui:
dem pij animi erga Nos uero studiosæ voluntatis
pclara nobis pbuit indicia Quæ sane cum plurib.
alijs tum hoc etiam noie summe nobis grata acci:
derunt: quòd istiusmodi amica doloris participa:
tione nostri grauitatem multum leniri sentiamus,
accedente psertim tam pia eiusdem Rmæ Patis V.
et consolatione, et nræ in Imperio successioni bene
pcandi studio. De nobis igitur R. P. V. hoc sibi mu:
tuo persuadebit, his ex officijs priori in ipsam nræ
beneuolentiæ et animi propensionis non parum ac:
creuisse, quod ut ipsa quandoqs re sentiat, curæ
nobis multum erit. Valeat R. P. V. feliciter.
Datæ Viennæ Vlt. Octob. Anno ꝑ M.D.LXIIII.

448 Pontifici Maximo

Beatissime Pater. Ex literis S.tis V.ræ et sermo:
ne Venerabilis Epi Vnitimilien: (quo in Viro pru:
dentiam eximiam, singulari cum morum suauitate
et amabilitate coniunctam haud obsure agnouimus,
adeoq; eius p̄sentia multum sumus delectati) dolo:
rem quem uestra S.tas de obitu Diui Ferdinandi
Aug.mæ me: Genitoris n̄ri charissimi concepit ma:
ximū, abundè intelleximus: publicamq; iacturam
quam S.tas V.ra paternè luget, ipsi quoq; meritò
lugemus: ac in tanta rerum perturbatione tam
pio et prudenti Rectore iustitiæq; constantissi:
mo cultore destitutam esse. Rempublicam Iure
omnibus hominibus moerendum esse censemus.
Verumtamen cum ea lege nascamur, ut non singu:
li modo homines, sed uniuersæ etiam nationes
intereant: Pieq; credendum sit, eum in gloriā
æternā translatū esse. qui sanctè ac iustè ad
extremum usq;, uitam traduxit, Vt moerorem
n̄rum cogitationibus eiuscemodi, minuere stu:
demus

demus, ita debere nos plurimũ S.ti Vrae hoc pser:
tim nomine profitemur. Quod primogeniti Ecclesiae
filij memoriã summa pietate atq; insigni beneuolen:
tia adeò piè prosequatur. Vicissim daturi sumus
omnem operam diligenter. Vt in ijs q ad Dei glo:
riam Ecclesiaeq; suae S.tae Vnitatem, et pacem fouendã
promouendam, et retinendam, ac S.tam Vrãm & Apo:
stolicam sedem debita filiali nra obseruantia pro:
sequendam pertinere uidebuntur. boni Imperato:
ris officio satisfaciamus. Et q dicti Ser.mi Geni:
toris nrj pia exempla à nobis exigunt his constan:
ti et Sincero animo respondeamus. Praeclarum
Vrae S.tis de sensu, ac Voluntate nra Iudicium quantũ
fidelium precibus adiutj, re & affectu assequi nobis li:
cebit, dubio procul comprobaturj. Vti ex Epo
Vnitimiliensi (quem et, quod Vrae S.ti acceptus
et probatus sit. Et ob uerae uirtutis studium
in ipo satis superq; agnitum, nos quoq; clemen:
ter adamamus atq; complectimur.) S.tus

Vra

Vrã latius intelliget · Datum Viennæ Vltima
Octobris Anno ꝯ M. D. LXIIII .°